



# The Holy See

---

PAULUS PP. VI

*NUNTIUS TELEGRAPHICUS AD  
STHEPANUM S.R.E. CARDINALEM WYSZYŃSKI,  
ARCHEBISCOPUM GNESNENSEM ET VARSAVIENSEM,  
QUEM LEGATUM ELIGIT,  
UT SOLLEMNIBUS PRAESIDEAT IN PERILLUSTRI  
MARIALI CZESTOCHOVIENSI TEMPLO PERAGENDIS,  
MILLE EXACTIS ANNIS A SUSCEPTA  
IN POLONIA CHRISTIANA FIDE*

Deipara Poloniae Regina intercedente, ad cuius suavissimam effigiem proximo die III mensis maii in sacello ipsi dicato in Vaticanis Cryptis Eucharisticum Sacrificium celebrabimus, Deum Patrem flagranter exoramus, ut nobili ac dilectae isti Nationi, mille continuos annos Catholicam Religionem profitenti, caelestium donorum copiam abunde concedat, quae novae virtutis pignus atque incitamentum sint ad sacram christiana Fidei hereditatem servandam certatimque augendam.

Ut vero adventatibus iam sollemnibus in celebratissimo Mariali Czestochoviensi Templo quam maximum decus et ornamentum accedant, tibi id munera committimus, ut ibi Nostram veluti Personam geras, ideoque te Legatum Nostrum eligimus ac nominamus, facta potestate nomine Nostro Nostraque auctoritate Apostolicam Benedictionem singulis universis sacro Ritui pie adstantibus impertiendi.

*Die 30 mensis Aprilis a. 1966*

PAULUS PP. VI

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana